

1601

Veneti Ger-
manis mili-
tibus per
suos fines
transitum
permittunt.

validiores reddere, ordinum milites lustrare, delectum auge-
re coepit. Gaudentio Madrutio, Philippi stipendia merenti,
cum sex Germanorum peditum millibus ad Canisium oppu-
gnandum Ferdinando Archiduci opem laturo, per Reipubli-
cæ fines iter petenti, ex Senatus consulto permissum. Dona-
to curante, lembis milites excepti, per Benacum lacum De-
sentianum delati, summa quiete, nullo subjectorum incom-
modo, in Cremonensem agrum, ad Divi Joannis (quem in
Cruce vocant) oppidum convenere. Dum hæc geruntur, Del-
phinus ac Priolus legati Lutetiam accedunt, summis honori-
bus quacumque iter haberent exculti. De connubio primum
gratulati; mox de egregia in Rempublicam voluntate, cujus
eximia argumenta palam exhibuisset, gratias Henrico agunt.
Priolus equestri dignitate insignitus, ambo muneribus regiis
ornati, in patriam reversi, præclarum ejusdem studium, quod,
dum Hispanorum arma in Insulribus ferverent, cumulate pa-
refecerat, Senatui significant: ne ab iis damni aliquid ad
Rempublicam perveniret, ipsum quoque, si occasio tulisset,
ad illam juvandam alpes transgressurum fuisse, constanter
affirmasse; quadringentis e sua custodia selectis in Italiam
profectionem permisisse, quos iidemmet legati obvios in iti-
nere habuerant, in quibus equitum tribunus Bironius, bel-
lica virtute insignis, qui ob eximia pro Henrico gesta, sum-
ma existimatione florebat, atque impense a Rege diligebatur:
de quo illud prefatum ajebant, *æque acrem illum amicum
atque hostem, vel amicis vel hostibus futurum*. Alphonsus
quoque Dornanus, Corsus, equitum tribunus, ob egregia
facinora nomen a fama sortitus, cum aliis insignibus viris
arma pro Republica sumpturis adnumerabatur.

In continenti sedatis rebus, maritimarum curæ atque so-
licitudines emerfere, qua Neapolis & Siciliæ Proregum ex-
cursionibus, qua classium Hispanicarum apparatu subortis.
Cogi namque Genuenses, Neapolitanas ac Sicalas triremes
ab Andrea Auria Philippus jusserat, ab Italiæ Regulis sub-
sidia efflagitaverat, & in universum classem quatuor ac septua-
ginta longarum navium summam æquaturam ferebatur. Ge-
nuensium septemdecim regia pecunia merentium, in qui-
bus binæ Sabaudi censebantur, Caroli Auriæ imperio

con-

Hispani
classim
Neapoli
comparant.